Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



ad latorum tuorum. Levaverunt voces suas simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt cum convertet dominus syon. Iubilate et laudate simul deserta ierusalem: quia consolatus est dominus populum suum. Et videbunt omnes fines terre salutare dei nostri. Lectio epistole beati

Paulo apostolo ad hebreos

Fratres. multifariam. Po. apli ad hebreos i

multifariamque modis olim deus loquens patribus in prophetis novissime diebus istis locutus est nobis in filio suo quem constituit heredem universorum: per quem fecit et seculum. Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius. portansque omnia verbo virtutis suae purgationem peccatorum faciens. sedens ad dexteram maiestatis in excelsis. tanto melior angelis effectus quanto differentius prae illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum filius meus es tu ego hodie genui te. et rursum. ego ero illi in patrem. et ipse erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae dicit. Et adorent eum omnes angeli dei. Et ad angelos quidem dicit. qui facit angelos suos spiritus. et ministros suos flammam ignis. Ad filium autem. Thronus tuus deus in seculum seculi. virga equitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te deus deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis. Et tu in principio domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt celi. Ipsi peribunt tu autem permanebis. Et omnes ut vestimentum veterascent. et velut amictum mutabis eos et mutabuntur. tu autem idem ipse es et anni tui non deficient. Gradiuntur omnes fines terre salutare dei nostri iubilate deo omnis terra. Factum est dum